



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. De Ecclesiis ædificandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

cognitio ab Episcopo fieri debet, ut vult  
*Trident. Sess. 25. in Decret. de invocat.*  
*Et reliq. sanct.* quia hac in re, quæ plu-

rium sæpius hæreticorum laudibus  
 tur; cautè agendum vult Ecclesiæ.

### TITVLVS XLVI.

#### DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM

**E**xaminatur etiam hujus tituli mate-  
 ria sufficienter à Theologia morali,  
 cui ea relinquatur.

### TITVLVS XLVII.

#### DE PURIFICATIONE POST PARTUM

**I**N antiqua lege præceptum erat, de  
 facienda post partum purificatione,  
 post 40. vel 80. dies à partu, ante quod  
 tempus non poterat templum ingredi  
 puerpera: hodie tamen in nova lege  
 Evangelica tale præceptum non extat,

improbanda tamen devotio non est, et  
 ait Pontifex in *c. unic. b. 2. si quis vellet*  
 quamdiu ob reverentiam, ab ingressu  
 Ecclesiæ ante purificationem publicè  
 etiam abstinere.

### TITVLVS XLVIII.

#### DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS VEL REPARANDIS.

§. I.

*De Ecclesijs ædificandis.*

**P**otest quidem quilibet in proprio  
 fundo novam Ecclesiam ædificare,

duæ tamen conditiones illi observanda  
 sunt. 1. ut per hoc alteri Ecclesiæ non  
 inferatur præjudicium. 2. ut interve-  
 niat legitimi superioris, Episcopi scilicet,  
 si in loco non exempto ædificat, aucto-  
 ritate

ritas vel consensus (saltem tacitus, & subsequens) etiam si persona exempta sit, quæ edificat; vel Summi Pontificis, si locus, in quo edificatur, exemptus sit, *can. nemo 9. dist. 1. de consec. c. ad hæc. 4. de religiosis domibus. c. auctoritate 4. §. prohibemus insuper de privilegiis in 6.* Imò intra fines alterius Parochiæ nova Ecclesia parochialis, cum consensu Episcopi, edificari potest, non quidem ob solam populi multitudinem, sed si nimia sit distantia pro divinis officiis, & Sacramentis, aut alia magnæ difficultates antiquam Ecclesiam parochialem frequentare facilè non permittant, ut constat *ex c. ad audientiam 3. b. t. vel in usum leproforum c. cum dicat. 2. b. t.* quia in his casibus urget necessitas, aut sanitas novam Ecclesiam parochialem.

## §. II.

*Quenam præter legitimam causam conditiones necessario requirantur ad construendam novam Ecclesiam parochialem.*

1. **R**equiritur, ut in illo districtu, ubi nova Ecclesia parochialis erigenda est, saltem decem sint parochiani *arg. can. unic. caus. 10. q. 3. sunt. Gloss. verbo mancipia. 2.* ut fiat ab Episcopo cum consensu sui Capituli, quia circa reditus prioris Ecclesiæ fit alienatio quædam, aut certè unio unius Ecclesiæ cum altera, quæ nec ipsa sine consensu Capituli fieri potest, nisi in extruenda tali nova Ecclesia procedat Episcopus, ut delegatus Pontificis, in casu scilicet, in quo non potest, ut ordinarius, procedere, in loco v. g. exemplo novam Ecclesiam edificando. 3. requiritur, ut

citentur & audiantur Rector Ecclesiæ matricis sive antiquæ, & quorum interest hæc scire, quamvis enim etiam illis invitis procedere possit Episcopus, ut constat & *cit. c. ex Tridentino*, non tamen illis non auditis, ob pleniorum scilicet informationem. 4. requiritur, ut Ecclesiæ novæ competens dos assignetur, pro sustentatione necessariorum ministrorum, & sumptibus necessarijs talis Ecclesiæ, ita tamen, ut dos ista ex redditibus Ecclesiæ antiquæ desumi possit, si abundantur illi aded sint, ut utriusque Ecclesiæ tam antiquæ, quam novæ sufficiant, & nisi alius adsit, qui velit eam dotare, vel si redditus illi pro utraque Ecclesia non sufficiant, & nemo alius novam dotare velit, populus novæ Ecclesiæ ad necessaria subministranda ab Episcopo cogatur, vel illi prælati, quorum jurisdictioni hæc Ecclesia subest in temporalibus, aut in horum defectum Episcopus providebit, permittendo etiam parochi novo, ut proprijs manibus, ex honesto & statui suo conveniente artificio, sustentationem suam quarat. *can. 3. & 4. dist. 91. §. requiritur*, ut jus ad novam hanc parochiam præsentandi referretur illis, quibus de jure debetur, qui fundando scilicet, edificando, aut dotando Ecclesiam hanc erexerunt; vel si ex redditibus prioris Ecclesiæ dotatio, aut edificatio novæ Ecclesiæ facta est, Patronus erit, præter eum, qui fundam v. g. dedit, Ecclesia antiqua, aut ejus Rector, prout ex relato *c. ad audientiam* patet. 6. Requiritur, ut honor competens antiquæ Ecclesiæ servetur, vel certum censum in signum subjectionis eidem solvendo, vel